

Tu generis titulus, columen, sapientia, cultus,
 Sic dictante tua indole precipua!
 At grave pondus Adę malum grave nec minus Evę,
 Quo senior metitur, iunior et rapitur.

Tertium.

Tollitur e medio tenero Georgius ęvo;
 Auroram sextam Iunius orbe dabat.
 Hic tibi, Laurenti, se sacrans fine fideli,
 Sub pietate tua devovet ossa sua,
 Ut per te vivat felix dexterque resurgat,
 Quo perit ulterius mors, dolor et gemitus.

Epitaphium Engelberti.

Clauderis Aprilis hic, Engelberte, kalendis,
 Solveris atque putris vermis in his tumulis.
 Famam cum rebus peperit tibi plurima virtus,
 Ardor iustitię, brachia militię;
 Tum memor ipse tui recolensque novissima busti,
 Res huic ecclesię das bene spe venię.

Epitaphium Gozelonis¹.

Scorpio post triduum concesserat arcitenenti²,
 Dum rapior malo transgredientis Adę.
 Gloria, sanguis, honor ingens et Gozelo nomen;
 In ventum redigor, rursus athme³ redimor.

Epitaphium avunculi Reimundi.

Fines externos habitans, Reimunde sacerdos,
 Lector doctiloquus fis meritis patruis.
 Hospita terra tibi prestat hęc summa sepulchri,
 Dum lux lucifluos dena subit geminos⁴.
 Ortus germana tibi scribit hoc epigramma,
 Abbas germanus dat lapidem Stephanus⁵.

Epitaphium Adelindis.

Oppetit Alendis natalibus inclyta primis
 Hicque decens species liquitur in cineres.

1) Ein Bezug auf einen der beiden lothringischen Herzöge ist wohl ausgeschlossen. 2) Da die Sonne am 17. Nov. in den Sagittarius tritt, so ist wohl der 19. Nov. gemeint. 3) Dem griechischen ἀτμή = Rauch nachgebildet. 4) 27. Mai, da die Sonne am 18. Mai in die Zwillinge tritt. 5) Vgl. oben S. 375 N. 3. Lambert war also der Schwestersohn Reimunds und Stephans.